



**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Quæstio 2. Quo tempore hoc præceptum obliget?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

Mag. Prædicatorum. 1. quæst. moral. cap. 7. quæst. 5. §. 4. n. 14. & 15. ubi ait: Si tunc non obligat, numquam obligaret (nempe usque ad articulum mortis) quia non est maior ratio temporis sequentis. Ex quibus sic arguitur: ergo homini, qui in primo instanti usus rationis auctum charitatis elicitur, nullum tempus ante articulum mortis assignari potest, in quo ad illum iterandum teneatur. Ergo omnes Thomistæ, qui huic obligationi fecerunt satis (ut suppono) non tenebuntur ad actum amoris Dei usque ad articulum mortis. Bene. Ergo reliqui Doctores extra Scholam Thomisticam, qui talem obligationem pro primo instanti usus rationis non agnoscunt, consequenter asserunt, præceptum speciale charitatis extra articulum mortis non obligare. Quod hæc consequutio sit legitima ex præmissis, fatentur omnes Thomistæ supra citati: atqui probabilissima est sententia negans obligationem elictendi actum charitatis in primo instanti usus rationis, ergo nequit improbari consequutio, quæ ex illa necessariò deducitur.

6. Quartò probatur argumentum desumptum ex D. Thoma in addit. ad 3. part. quæst. 6. art. 5. in corpore, ubi de præcepto Baptismi loquens sic ait: Ad Baptismum non est al. quod tempus determinatum, ultra quod, si Baptismum differat, peccatum incurrat. Et infra: Quia quæ sunt de necessitate salutis, tenetur homo in hac vita implere: idè si periculum mortis imminet, etiam per se loquendo, obligatur aliquis ad confessionem faciendam, vel Baptismum suscipiendum. Ex quibus sic: Baptismus est fundamentum Christianæ vitæ, & tamè juxta D. Thomam ante periculum mortis nullum est tempus ei suscipiendi determinatum, ultra quod, si adultus Baptismum differat, peccatum incurrat. Ergo idem de actu amoris Dei eodem fundamento dici poterit. Urgetur: quia huic principio innixi Scotus, Durandus, Gabriel, Richardus, Paludanus, Suarez, Valent. a. Lugo, & alii apud Leandrum à Sacramento tom. 1. tract. 5. disp. 3. §. 13. asserunt, seclusa lege Ecclesiastica, præceptum confessionis non obligare extra articulum mortis. Quia præceptum, inquit, affirmativum per se non obligat, nisi in articulo necessitatis, qui per se loquendo nullus est dabilis ante mortem. Atqui præceptum amoris Dei est præceptum affirmativum, & aliud nullum est ei tempus à Christo Domino, nec à jure naturali determinatum, ergo, ni ab Ecclesiâ determinetur, non obligabit abique ad periculum mortis.

7. Hæc sunt fundamenta, quæ pro hac sententia militant, quæ proinde gravissimi Doctores sequuti sunt, & videntur tenere doctissimi Navarrus in Sum. cap. 11. ubi per omissionem amoris Dei, solum putat peccare: Qui dimisit amare Deum, tempore quo sub pœna peccati mortalis tenebatur ad cogitandam suam salutem spiritualem, veluti cum imminet periculum mortis, vel necessitas se obtulit sumendi, vel ad ministrandi Sacramentum. Sic Navarro pro se citans Mag. Tabienam, & Majorem.

§. I.

Animadversio in Baronium.

7. Sententiam nuper relata, impiam, & absurdam, vocat Vincentius Baronius in opere contra Amadeum, disp. 3. sect. 2. art. 1. §. 1. fol. 314. & ultimum argumentum à paritate præcepti Baptismi desumptum,

fallax, & viciosissimum appellat. Quia non est (inquit) idem judicium de utroque præcepto: nam præceptum charitatis ad finem pertinet, & Baptismi ad media. Verum hoc effugium nullum est, quia actus charitatis non cadit sub præcepto, ut finis aliorum præceptorum est, sed ut medium ad consequutionem gloriæ, ut bene ait M. Bannez 2. 2. q. 44. art. 1. conclus. 3. ibi: Actus charitatis est etiam medium maximè necessarium ad assecutionem finis, & eatenus est de illo præceptum speciale; non ut habet rationem finis aliorum præceptorum, sed ut habet rationem ultimi & perfectissimi medi ad assecutionem finis. Ergo ex eo, quod præceptum charitatis ad finem pertineat, & Baptismi ad media, insufficiens prorsus est disparitas à Baronio tradita, maximè, ut argumentum de fallacia redarguat, cum tam actus charitatis, quàm Baptismus, ut media tantum, ad assequutionem finis, sub præcepto cadant.

8. Viciosissimum etiam nostrum argumentum appellat exclamans, numquam D. Thomam docuisse, quod de Baptismi dilatione, in loco supra citato illi adscribitur: * Nec potest (inquit) illi adscribi, nisi per summam calumniam. Quæ hæc apud Baronium legat, & fidem neget? Sed ut nullam huic Authori debet, palam faciemus legi, & relegi D. Thomæ locum supra adductum ex addit. ad 3. part. quæst. 6. art. 5. in editione Sulmanticensi (qua utor) anno 1555. & verba, quæ ex illo adduxi, fideliter excerpta inveniri: Nec aliter, quàm sensum ab Amadeo detorta. Ecce claritas gratia antecedentia, & subsequencia subjungam. Disputat ibi D. Thomas, * Utrum peccator teneatur statim confiteri? Ergo si quàm statuit, ratione communionis teneri, subnectit: Alio modo obligantur aliqui ad confessionem per se, & sic videtur eadem esse ratio de confessione, & de Baptismo differendo, &c. Præceptum autem confessionis, jure divino, per se non obligare extra articulum mortis, docent Doctores citati n. 29. & recte Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 35. sect. 3. n. 6. est sententia D. Thomæ disp. 17. q. 3. art. 1. Et de præcepto Baptismi exprimit D. Thoma ibi supra, dicens: * Ad Baptismum percipiendum non tenetur aliquis statim, postquam habuit propositum Baptismi, neque est aliquod tempus determinatum, ultra quod si Baptismum differat, peccatum incurrat. Ab hac autem assertionem statim excipit articulum mortis, subiungens: Quia ea, quæ sunt de necessitate salutis, tenetur homo in hac vita implere: idè si periculum mortis imminet, etiam per se loquendo, obligatur aliquis ad confessionem faciendam tunc, vel Baptismum suscipiendum. En apertè à D. Thoma traditum, nullum esse tempus extra articulum mortis, ultra quod, si Baptismum quis differat, peccatum incurrat. Quo ergo jure, id non posse illi adscribi, nisi per summam calumniam, scripsisti? Sed ut calumniam in posterum compescas, argumentum à paritate Baptismi desumptum intertorqueo, & ex ore tuo te judico. Si in primo instanti usus rationis homo eximeretur à præcepto amoris Dei, vix aliqua ratione verisimili posset aliud tempus illi præcepto implendo designari, nisi ad finem vitæ, & mortis articulum devolvatur. Sic factis 1. part. Theologiæ Moral. disput. 2. art. 3. folio 137. cum alius tu instituit, quos supra dedi: Atqui omnes Thomistæ cum D. Thoma defendunt, præceptum Baptismi non obligare in primo instanti usus rationis, (quibus non dissenties) ergo vix aliqua ratione verisimili poterit huic præcepto implendo, aliud tempus designari, nisi ad finem vitæ, & mortis articulum devolvatur. Quid ad hæc?

9. Instat Baronius, D. Thomam ibidem addidisse: *Potest contingere, quod in dilatione Baptismi mortale erit peccatum, vel non erit, & hoc pensandum ex causa dilationis. Unde si causa dilationis Baptismi mortale peccatum annexum habeat, ut potest si propter contemptum, vel aliquid huiusmodi, Baptismus differat, dilatio erit peccatum mortale: alias non. Fateor, D. Thomam hæc esse verba, quæ licet Baronius non referat, excerpte placuit, ut ex illis D. Thomæ sensus apertius percipiatur. Concedo, dilationem Baptismi ex contemptu, vel ex alio pravo fine posse esse peccatum mortale: contendo verò, vi consequentiæ, idem prorsus de dilatione actus charitatis dici debere: & ideo deficiente simili causa dilationis, sicut non peccat mortaliter omitteus Baptismus usque ad articulum mortis, (solo attento iure divino) ita neque qui actum charitatis. Stat ergo argumentum supra confectum: quod salax, & vitiosissimum Baronius vocavit. Aliis solutionem remitto.

§. II.

Vera sententia.

10. Extremas relinquo, aliam, quæ præceptum amoris Dei super omnia in primo instanti usus rationis obligare defendit: aliam, quæ solum in articulo mortis. Primam deferò, quia hæc obligatio Authoribus tantum scholasticis est nota, qui ejus meminerunt: & moraliter videtur certum non omnibus inesse obligationem, quam nullus agnovit, omnes ignorant. Secundam reiicio, quia præceptum dilectionis Dei est præceptum amicitia: conciliandæ, conservandæque per totam vitam cum Deo: qui est finis, ex cuius amore, & fruendi desiderio cætera omnia dirigitur, & ministrantur. Incredibile ergo prorsus est, quod non obliget usque ad articulum mortis: si enim media ad consecutionem finis, in diffursu vitæ, ex præcepto adhibenda sunt, qui fieri potest, quod amor finis ad finem usque vitæ differatur? Ideo hanc sententiam, quæ communis est inter Theologos, tueatur Sanchez lib. 1. Summ. cap. 35: Suarez & Valentia, quos refert, & sequitur Castro Palao tom. 1. tract. 6. disp. 1. punct. 4. num. 4. Sotus, Bannez, Lorca & alii, quos sequitur Monesinosi. 2. q. 98. disput. 19. quest. 2. num. 3. & Mag. Prado ubi supra quest. 3. num. 5. & 6. qui constanter asserunt, extra articulum mortis dari obligationem eliciendi actum charitatis Dei, etiam his, qui in primo instanti usus rationis actum charitatis elicerint.

11. Jam quo tempore præceptum hoc ex virtute charitatis obliget? Non conveniunt Doctores. Certum autem est, secundum omnes, ex aliis virtutibus obligationem procedere, quoties occurrat obligatio se justificandi ad recipiendum, vel conficiendum aliquod Sacramentum. Et similiter ex præcepto negativo ipsius charitatis, quemlibet teneri, actum amoris Dei elicere, quoties ad vitandum odium, opus fuerit. Difficultas solum est de præcepto affirmativo. Respondeo ergo, aliis sententiis omisis, nullum determinatè assignari posse: certum autem esse dari obligationem aliquoties Deum amandi. In hac conclusione ferè omnes Doctores conveniunt. P. Suarez de Charit. disputat. 5. sect. 3. num. 4. sic ait: *Dico teneri hominem non prorsus cessare tota vita ab hoc amore. Quare, qui per multos annos non exercet hunc

actum amoris, delinquit contra charitatem. *P. Henriquez, quem refert, & sequitur Filiolus tractat. 1. cap. 9. quest. 8. num. 290. dicit: *Saltem quanto magis anno, hoc præceptum liget. *Magis licet Castro Palao ubi supra puncto 4. num. 10. ubi ait: *Reputarem, dilationem trium annorum elige-rem. *Cui consonat P. Coninch disputat. 14. dist. 3. numer. 53. ibi: *Videtur omnino mortaliter peccare, si hoc præceptum quis ad tres, vel quatuor annos spontè differat. *Strictius alii, singulis annis præceptum obligare, tradunt. Ita Petrus Hurtado de Mendoza 2. 2. disputat. 174. sect. 6. §. 16. Lorca 2. 2. disput. 8. §. 3. num. 8. Mag. Petrus de Ledesma in Summ. tom. 1. tract. 3. cap. 5. post 6. conclus. Alii verò nullum tempus determinare audent. Et fortè antea nullum obligat, inquit Mag. Prado tom. 1. Questio. Moral. cap. 1. §. 3. num. 10. Quapropter P. Granados 2. 2. quest. 4. controver. 3. de Charitate tractat. 14. *Aliquoties (inquit) in vita credendum est, obligari nos ad hunc actum, sed diffinire tempus magis in particulari non possum. *Et ex hoc capite, ratione ignorantie temporis huius obligationis, homines excusant peccatum, dicens: *Quoniam tempore obliget hoc præceptum, res est occulta, quod deserviet, ut facile admittamus invincibilem ignorantiam, quæ excuset à culpa peccati, qui hoc præceptum fortasse non impleverunt. *Sic P. Granados, cui lubens assentior.

12. Ad argumenta adversarii respondendo. Ad primum desumptum ex auctoritate D. Thomæ in 4. distinct. 14. necessitatem urgentem ad præceptum amoris Dei adimplerionem, non ex periculo mortis, sed ex vitæ Christianæ fundamento, & institutione taxandam esse: ac proinde ad ultimum tenendum actum amoris Dei nimis non diffundendum, sed aliquoties in vita eliciendum, juxta diversitatem opinionum, de quibus supra.

13. Ad secundum respondeo, post lapsum in peccatum æquè obligat præceptum contritionis, & præceptum amoris: nego autem, contritionem differri posse usque ad articulum mortis, si articulus iste differatur ultra tempus à Doctoribus, præceptum amoris eliciendo, designatum. Idque D. Thomas supponit loco ab adversariis adducto ex add. ad part. question. 9. artic. 5. dum sic ait: *Tunc tenetur quis ad propositum confitendi, quando ad contritionem tenetur, scilicet, quando peccata memoriam occurrunt, quod præcipue in articulo mortis fit. *Ly enim, præcipue, idem importat, quod nunc me: ut ostendat maiorem esse rationem de articulo mortis: exprimit enim casum minus dubium, alioquin magis dubium includit, ut cum Bartol. Trinquell. Burgos de Paz, & aliis tradit Barbosa in Dictionar. juris, dist. 272. Quapropter licet D. Thomas idem concludat, contritionis præceptum per se obligare in articulo mortis, tempusque aliud ex iure divino non designet, limitanda tamen est conclusio præcedentibus, nimirum, tunc præcipue obligat. Aliud verò tempus ad ejus adimplerionem argui non negat: idè quæ aliquoties in vita ejusmodi præceptum, sicut & amoris, vel contritionis obligat, dicendum cenleo.

14. Ad tertium desumptum ex auctoritate Thomistarum, qui pro solo articulo mortis præceptum amoris obligaturum inferunt, si in primo instanti usus rationis non adstringat. Respondeo, illationem esse nullam, & cui ipsi etiam tenentur respondere, admissa obligatione pro primo instanti. Illatione enim, quandoquidem eos etiam, qui hoc præceptum pro eo instanti adimpleverunt, obligant ad aliquoties

ties in vita actum amoris Dei eliciendum, extra articulum mortis.

17. Ad quantum, quod adducitur ex autoritate D. Thomæ prolicita dilutione Baptismi usque ad articulum mortis, respondeo, D. Thomam eodem modo de Baptismo, ac de confessione sentire: atque ad eod ejus conclusio intelligenda est, juxta superius dicta ad secundum argumentum, nempe susceptio- nem Baptismi præcipue obligare in articulo mortis: non verò excludit obligationem ante hunc articulum. Nec congruè excludi potest, quia non solum Baptismus in voto, sed in receptus, vitæ Christianæ fundamentum est. Quapropter Cajetanus 3. part. quest. 68. artic. 3. §. Et quamvis, sic scripsit. * Dilatio tamen Baptismi usque ad mortis articulum licita non est: ut patet de consecrat. distinct. 4. cap. quando quis. * Cujus sententia est verissima: textus verò, quo utitur, rem non evincit, quia solum procedit de his, qui usque ad exitum vitæ suscipere Baptismum differunt, ut liberius peccent, spe Baptismi postea salvandi.

QVASTIO III.

Utrum maritus, qui uxorem adulteram suspicatur, possit ei occasionem offerre, ut in adulterio deprehensam corripat?

1. **P**ARTEM affirmativam tuetur Joannes Sanctus in Selectis, disp. 35. num. 12. qui universaliter asserit, * offerentem alicui occasionem ad peccandum, ut deprehensus in illo resipiscat, vel ob alium bonum finem, non peccare: qualiter excusantur Custodes nemorum se abscondentes, ut evites ingrediantur liberè, & deprehensi caveant in futurum illuc redire. Illud enim non est cooperari ad peccatum, sed permittere unum committi, ut plura evitentur, ut tradunt Navarrus, Navarra, Corduba, Valentia, Molina, Manuel, Vega, & alii. * Et infra: * Eadem etiam ratione excusati parentes, & heros non auferentes, vel apponentes famulis, aut filiis occasionem furandi, cum eos ad furandum propensos norunt, ut sic in furto deprehensi resipiscant, censent Navarrus in Sum. Hispana, cap. 28. addit. ad num. 3. cap. 14. §. La dezima. Corduba in Summ. quest. 5. corollar. 4. Navarra lib. 3. de Restit. cap. 4. dub. ultimum. in nona edit. num. 104. * Hactenus Joannes Sanctus. Quem sequuntur Gallinus verb. Peccatum. Layman lib. 2. tractat. 3. cap. 13. num. 5. Gaspar Hurtado de Inst. disputat. 2. distinct. 3. §. Ratio prioris est. * Quia peccanti ex malitia (inquit) potest licitè tribui materia peccati, quæ aliàs sit indifferens. * Diana 3. part. tract. 5. Miscellan. resoluit. 18. ejus rationem reddit. * Quia id non est formaliter cooperari ad peccatum, sed materiam, & occasionem peccati subministrando, illud permittere. Quibus faciunt asserentes, non esse peccatum mortale, subministrare materiam indifferenter ea abusu. Petrus de Ledesma tom. 2. tractat. 27. dub. 4. & Cajetanus 2.2. quest. 147. artic. 4. in fine, aliquè plures ex hoc capite excusantes Tabernarios, & Capones cibaria ministrantes solutis jejunium. Quia * si omnino cœnaturi sunt, (ait Cajetanus) & ego invito eos ad mecum cœnandum, non invito eos nisi ad lo-

cum, & societatem cœnæ, & ministro illis cibos. Ex nullo autem horum apparet peccatum aliquod. * Ergo si uxor adulterata est, maritus occasionem offerens, verb. grat. solam relinquens, vel consulens, ut consanguineam visitet, non invitat nisi ad locum, & domum consanguineæ, ut adductis testibus possit de adulterio convincere, vel in adulterio deprehensam corrigere. In his ergo, juxta doctrinam Cajetani, peccatum aliquod non apparet. Cui favent Doctores asserentes, non peccare mortaliter, qui petit aliquid indifferens, quo alter jam paratus est abusus, quia hæc videtur levis cooperatio ad peccatum. Sic nonnulli apud Bonacinam tom. 2. disputat. 2. de Peccatis, quest. 4. puncto 2. num. 21.

2. Et quod caput, est sententia expressa D. Thomæ q. 13. de malo, artic. 4. ad 19. ubi sic scribit. * Pro nullo incommodo corporali vitando, debet homo consentire in peccatum alterius: sed tamen pro aliquo incommodo vitando, potest homo licitè uti malitia alterius, vel materiam ei non subtrahere, sed præbere. * Quid clarius?

§. I.

Animad-versio in Baronium.

3. **H**UNC D. Thomæ locum, etsi fideliter excerptum, enormiter tamen truncatum expostulat Baronius in opere contra Amadeum, disput. 3. sect. 2. §. 3. folio 298. sic illum impetens: * Sed hic solito enormiori fraude elegantissimum D. Thomæ locum ex quest. 3. de malo (13. voluit dicere) artic. 4. ad 19. corripit, truncatis verbis, quæ aperte sensum D. Thomæ interpretabantur, & fraudem Amadæi refellebant. * Et excerptis, quæ à nobis supra, subnectit: * Curtacuisse, quæ sequuntur, verba? Sic enim profertur Sanctus Doctor: Sicut si latro aliquem jugularet, & ad vitandum periculum, aliquis latroni thesaurum ostenderet. Vides ex D. Thoma non licere quamcumque occasionem, aut materiam peccandi præbere, sed tunc tantum, cum quis vitam invadit, atque ab homicidio semoveret, permisis ejus arbitrio fortunæ bonis? *

4. His de Amadæo actum putat elegans Baronius, quasi exemplum, quo utitur D. Thomas, demontret, extra casum imminenti mortis, ad quam jam inimicus est accinctus, licitum non esse, ex quo cumque alio bono fine, materiam peccati illi præbere. Cæterum homo aperte fallitur: quia licet D. Thomas, claritatis gratia, in exemplum adhibuerit casum latronis jugulum minantis, cui ad vitandum mortis periculum, ostendi posse thesaurum diripiendum, in confesso est apud omnes: non tamen propterea existimavit, in hoc solo casu esse licitum materiam peccati proximo præbere. Quinimò eo exemplo, majoris claritatis gratia, utitur ad probandum, in aliis etiam casibus minoris momenti idem licitum fore.

5. Ad horum evidentiam, proponam argumentum, cui D. Thomas loco citato responderet, quod est decimum octavum, & decimum nonum his verbis objectum: Ille, qui subministrat peccanti mortaliter, peccare videtur, sicut si quis mignaret arma furanti, aut interficere volenti: si ergo usurarius mortaliter peccat mutuans pecuniam ad usuras: videtur, quod etiam illi, qui apud eos deponunt pecunias, mortaliter peccent. Sed dicendum, quod si absque necessi-